

nissent ex piscibus afferri aliquid Jesus precepit; sed cum attulissent, prunis impositum piscem atque panem offenderunt; quæ simul cum Jesu omnes degustarunt, nemine, quis esset, interrogare audente, cum Jesum esse haberent compertum. Ita tertio spectandum se præbuit Jesus post resurrectionem suam pluribus simul Discipulis (1).

† Joan. 21. 13. 24.

Jesus pascendum Gregem suum S. Petro committit.

POST degustatum ab Apostolis cibum, interrogavit Jesus Petrum, num ab ipso plusquam à ceteris amaretur; eique affirmanti in hæc verba, Tu seis, Domine, quia amo te, Jesus commisit: Pafce oves meas. Tum iterum eadem interrogatione inquit; eademque alteri reponenti, eadem Jesus injunxit. Tertio tandem eadem interrogatione pulsatus Apostolus, ait: Domine tu omnia nosti, tu seis quia amo te; Et Jesus: Pafce oves meas; adjecitque: Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quod tu non vis. Prosecutus est: Sequere me. Paruit Apostolus; sed retrosum conversus, cum sequentem pariter dilectum Jesu Discipulum spectasset, quid de illo futurum esset, Magistrum interrogavit; & ille: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Rumor ex his verbis inter Discipulos increbuit, futurum, ut è mortis lege dilectus ille Discipulus eximeretur; Jesus tamen non eximendum dixit à morte, sed tantum: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est Discipulus ille, scribit S. Joannes 21. 24. qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium ejus (u).

u Joan. 21. 15. 24.

Jesus octavo apparet plusquam 500. simul in monte Galilææ.

CONVENERANT Discipuli, Angeli jussionibus parentes, in Galilæam; & cum omnes in montem quendam venissent, in medio cœtu stantem Jesum subito spectarunt. Qua occasione apparuisse Christum cœtui plusquam 500. fratrum, quorum plures vitam adhuc agebant, cum S. Paulus primam daret ad Corinthios epistolam, credimus (1. Cor. 15. 6.). Visum igitur Magistrum omnes adorarunt; dubitarunt tamen nonnulli, num verum corpus spectrum illud, quod coram cernebant, haberet; surrexerunt tamen Jesum ne ambigebatur quidem. Ita verò Discipulos illos

affatus est Jesus; Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis; & ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (x).

x Matt. 28. 16. 20.

Nondò apparet Jesus Discipulis, & cum illis familiarius agit in monte Olivarum.

ASCENSURO in Cælum Jesu è monte Olivarum, redierunt Apostoli Jerusalem, ubi amice iterum cum Magistro egerunt, commensalem habuerunt, & incredulitati suæ super Passione & Resurrectione Scripturarum ingesto testimonio exprobrantem. Tunc excussa ex illorum mentibus tenebræ, oracula Scripturarum omnia, quibus & toleranda ab ipso mala & resurrectio tertiâ die prædicebantur, patuerunt. Ex ipsis etiam Scripturis tunc primo intellexerunt Apostoli, annunciandam omnibus poenitentiam & criminum remissionem, omnibus, inquam, ab Jerusalem ad universas usque nationes. Euntes ergo, ait, predicare Evangelium omni creatura. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tolent, super agros manus imponent & benè habebunt (y).

y Marc. 16. 14. 18. Luc. 24. 44. 48. Act. 1. 3. & 9. 41.

Jesus Christus spectantibus Discipulis in Cælum ascendit.

IUSTI post resurrectionem suam Jerusalem manere, quandiu induerentur virtute ex alto, Baptismo scilicet Spiritus quem recepturi erant non post multos dies (Act. 1. 5. 6. 7.). Secundum hæc, è Jerusalem comitantibus Discipulis secedens, Bethaniam usque processit, tollensque in Cælum, oculos adstantes omnes benedixit, atque subitâ quadam fulgentique nubem obumbratus, statim ex aspicientium oculis evanuit. Cum discipuli euntem oculis prosequerentur, en subito duo Angeli obviam facti; à quibus certiores sunt redditi, Jesum, quem mox in Cælum ferri viderant, eo habitu certâ die venturum. Secundum hæc, Discipuli è monte Olivarum Jerusalem venientes, in eadem simul æde manserunt, jugibus vacantes orationibus, unâ cum Maria Matre ceterisque necessariis Jesu, donec superno Spiritus Sancti die Pentecostes illapsu, promisso cæliiis munere donati sunt (z).

z Marc. 21. 19. Luc. 24. 49. 53. Act. 1. 5. 14.



DISSERTATIO IN EVANGELIA APOCRYPHA.

IN ipso Evangelii sui limine narrat S. Lucas, plures Scriptores rerum ab origine Christianæ Religionis gestarum memoriam literis consignasse; cum tamen illorum plerique sive quàm par est fufius, sive quàm ferri posset brevius, vel minus exactè Commentarios suos digessissent, operæ pretium se facturum censuit Evangelista, si limatius aliquid traderet, quò ceteris omnibus minus perfectis Scripturis fides detraheretur. Res cessit pro voto. Quatuor genuina Evangelia, nempe S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & omnium postremum S. Joannis, sola ab Apostolis probata & ab insignibus Ecclesiis recepta sunt; cetera oblivioni tradita & neglecta. Nec minor est ambigendi locus, num aliquod ex Evangelis ante S. Lucam scriptis nostrâ ætate superfit.

Sed mendacii pater, qui plures Pseudo-Christos & Pseudo-Prophetas falsis præfigiis imponentes suscitaverat, quò veris Jesu Christi prodigiis fides detraheretur, eodem astu impostores pariter supposuit, quorum fraude genuina Scripturæ corrumperentur, commentitiæ plures procuderent, ut minor esset auctoritas Operum S. Spiritus, nonnisi verba vitæ æternæ & supernæ veritatis oracula continentium. Quod autem in ea re stupori esse debet & admirationi, illud est, nimirum viros aliqui pios & bonæ fidei plenos, sed instructos parùm, id sibi pessimo planè exemplo suscepisse, ut Libros procuderent, quos Religioni utiles autumabant, id reputantes, ut piâ hac fraude Judæos & Paganos incredulos in suas partes pertraherent. Quare nomine celeberrimorum apud illos Authorum Libellos quosdam obtulerunt, veluti Efdra, S. Jacobi, S. Petri; eodemque consilio ingesserunt Paganis carmina Sybillarum, Oracula rei Christianæ adeo faventia, ut, siquidem cum veritate constarent, nullius non fidem credulitatemque extorquerent.

Plus tamen ab illis, quàm ut persuaderi potuerint, rei Christianæ commodis derogatum est. Ita enim inserta mendacis veritas, certaque dubiis corrupta ansam præbent Religionis osoribus tum in veras genuinasque Scripturas invidiam creandi, cum etiam plura pro suo arbitrio procudendi, quibus sub amplissimorum nominum obtentu veræ Scripturæ & nostræ Religionis sanctissima dogmata concuterentur. Hac sibi oblata detrectandi opportunitate

ufos in nos constat Celsum, Porphyrium, & Julianum Apostatam; nec ab his armis desistunt increduli nostræ ætatis, qui Religionis veritati, & Librorum Sacrorum auctoritati bellum indixerunt.

Incommodum ejus rei intelligentes SS. PP. id sibi committendum censuerunt, ut Sacros Libros religiosè servarent; cauti verò Libros intra Canonica auctoritatis arcem, parcèque reciperent. Factum inde, ut Ecclesiæ quamplures diu ancipites deliberarint, num quosdam Scripturarum Libros, quibus nonnullæ singulares Ecclesiæ averfabantur, reciperent; factam pariter ut Concilia & SS. PP. tum frequentes Sacrorum Librorum catalogos instruerent, tum ea scripta abjicerent, damna- rent, supprimerent, sive quæ Hæreticorum fraus, dolusque procuderat, sive quæ præpostera Christianorum quorundam pietas pariter & incertitia sub amplissimorum nominum, Apostolorum nempe vel Discipulorum, obtentu supposuerat.

Nostræ ætatis fideles in iis, quæ ad Libros apocryphos spectant, satis superque instruuntur. Quotusquisque enim illorum defendenda ejus generis scripta suscepit? Contemptui jam illa & oblivioni tradita sunt aded, ut qui vel nomine Libros illos norint, rari occurrant. Absit hoc autem à nobis, ut auctoritatem illorum relevantiam suspiciamus; sed cum nullius discriminis res sit, scripta illa nosse, ut argumentum illud fufius tractemus quis prohibet? cum maximè plurimùm conferre credendum sit, ut de illis seriùs agatur, quò vana Lucubrationum illarum ex raritate captata apud quosdam estimatio tollatur; æstimatio, inquam, quorundam suspicantium, ideo potissimùm in latebris illas occultari, quòd solidis argumentis refutari non valeant. Porrò fabellæ & suppositionis aperta adeo exhibent Scripta illa documenta, ut vel parum legisse, refutasse sit.

En catalogus Pseudo-Evangeliorum, quorum ad nos scripta nomina in Operibus Patrum pervenerunt. Extant nonnulla nostrâ etiam ætate; alia verò penitus interciderunt.

- 1 Evangelium secundum Hebræos.
- 2 Evangelium secundum Nazarænos.
- 3 Evangelium duodecim Apostolorum.

Hæc quatuor Evangelia facillè unum idemque habenda sunt, vario tantum nomine diversa.

- 4 Evangelium S. Petri.
 - 5 Evangelium secundum Aegyptios.
 - 6 Evangelium Nativitatis S. Virginis. Extat Latine.
 - 7 Protevangelium S. Jacobi, Graece, & Latine.
 - 8 Evangelium Infantiae Salvatoris, Graece & Arabicè.
 - 9 Evangelium S. Thomae, idem, ac praecedens.
 - 10 Evangelium Nicodemi, Latine.
 - 11 Evangelium Aeternum.
 - 12 Evangelium S. Andreae.
 - 13 Evangelium S. Bartholomaei.
 - 14 Evangelium Apellis.
 - 15 Evangelium Basilidis.
 - 16 Evangelium Cerinthi.
 - 17 Evangelium Ebionitarum.
 - 18 Evangelium Encratitarum. Idem, ac Tatiani.
 - 19 Evangelium Evae.
 - 20 Evangelium Gnosticomum.
 - 21 Evangelium Marcionis. Idem ac S. Pauli.
 - 22 Evangelium S. Pauli. Idem ac Marcionis.
 - 23 De S. Mariae Interrogationibus majoribus, & minoribus.
 - 24 Liber de Nativitate Salvatoris. Facile idem, ac Protevangelium S. Jacobi.
 - 25 Evangelium S. Joannis. Aliter Liber Interitus S. Virginis.
 - 26 Evangelium S. Matthiae.
 - 27 Evangelium Perfectionis.
 - 28 Evangelium Simonitarum.
 - 29 Evangelium secundum Syros.
 - 30 Evangelium Tatiani. Idem ac Encratitarum.
 - 31 Evangelium Thaddei vel S. Judae.
 - 32 Evangelium Valentini: Idem ac Veritatis.
 - 33 Evangelium Vitae, seu Evangelium Vivum.
 - 34 Evangelium S. Philippi.
 - 35 Evangelium S. Barnabae.
 - 36 Evangelium S. Jacobi Majoris.
 - 37 Evangelium Judae Iscariothae.
 - 38 Evangelium Veritatis. Idem, ac Valentini.
 - 39 Evangelia Lucii, Seleuci, Luciani, Hefychii.
- Plura ex his unum idemque habenda sunt, varias licet praesferant inscriptiones, ut proinde multo breviorum eorum catalogum consiciendum crediderim. Sed eorum Scriptorum numerum sane amplum ea, quae inferius dicenda sunt, demonstrant.
- Præter Pseudo-Evangelia impostorum, fraudibus procusa, sunt etiam Acta quaedam Apostolorum, & Epistolae Jesu Christi, SS. Virginis, Apostolorum, ac tandem Apocalypses nonnullae, de quibus in Prolegomenis ad Acta, ad Apocalypsim, cæterasque Apostolorum Epistolas.
- In Prolegomenis ad S. Matthæum, adductis argumentis probandum suscepimus, 1. *Evangelium secundum Hebraeos*, 2. *Evangelium*

geliu Nazaraeorum, 3. *Evangelium duodecim Apostolorum*, 4. *Evangelium S. Petri*, unum idemque Evangelium Hebraicum S. Matthæi habenda esse; quæ illic fusiùs demonstrata, hic repetere supervacaneum ducimus.

5. *Evangelium secundum Aegyptios* laudatur à S. Clemente Papa (a), à S. Clemente Alexandrino (b), à S. Epiphano (c), S. Hieronymo (d), Theodoto (e), Origene in Matth. Tito Bostrensi, & Theophylacto in Matthæum. Vetustissimum est omnium Apocryphorum Evangeliorum, quorum cognitio ad nos usque pervenerit.

S. Clemens Papa laudat ex eodem Evangelio historiam hominis, qui Jesum Christum interrogavit, quo temporis articulo mundi exitus definitus esset: cui Jesus respondit (f). *Cum duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus, & masculum cum femina neque mas neque femina: addit S. Clemens Alexandrinus: Quando pudoris indumentum conculcaveritis.* His verbis insinuat, quantum credimus, secundum Jesu Christi adventum non nisi post resurrectionem hominum futuram; tunc, ait, homines nullo pudore nullave concupiscentiae titillatione nuditatem suam proderent, ut proinde ad Angelorum veluti statum reducantur, qui non nubunt, neque nubentur. Facile etiam insinuat recepta illa apud Veteres opinio, discretionem sexuum nullam in resurrectione futuram. Potest etiam non incongruè sententia illa usurpari de constitutione Ecclesiae Christianae populis Judaico & Gentili in unam Ecclesiam coalescentibus.

Legitur etiam in eodem Evangelio, Salomen Jesum interrogasse, quoad usque homines morti futuri essent additi (*). *Dixit Dominus, quoad usque vos mulieres parietis. Cumque ea dixisset: Respondit ergo feci, qua non peperit; exceptis Dominus, dicens: Omni herba vescere, ea autem qua habet amaritudinem, ne vestaris.* Hanc etiam ex eodem Evangelio Servatoris verba laudat idem S. Clemens, de amore & generatione sententiam: *Veni ad dissolvendum opera famina.* Qualibus abusionibus sententiae illae paterent, satis, quantum arbitror, Lectores intelligent. Profectò Hæretici, qui generationem tollere è mundo satagebant, quique vicissim incontinentiae laxabant fræna, illas plenis buccis prædicabant. Cum tamen ænigmaticam quiddam præferrent, poterant pravo aequè rectoque sensu usurpari; ita nomine herba amara peccatum reddi potuit; operum femina, crimen originale, quod è femina divini præcepti prævaricatrice in posteros derivatum est.

Narrat S. Epiphanius, Sabellianos erroris sui patrocinium ex eodem Evangelio quesivisse, laudantes illud tanquam à Christo dictum: *Eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum;* quod sanè Catholico sensu usurpari potuisset, de tribus nempe Personis Divinis, unius ejusdemque communione naturæ junctis. Sed aequè favere poterat Hæreticis, si ad eam sententiam pertraheretur, quæ nimirum tres illas per-

a Clemens Rom. ep. 2. §. 12.
b Clemens Alexand. Strom. l. 3. p. 445.
c Epiphanius. haeres. 62.
d Hieron. Proem. in Matth.
e Theodot. in calce Oper. S. Clemens. Alexand.
f Apud Clemens. Rom. loc. cit.
* Apud Clemens. Alex. Strom. l. 3.

sonas ita conjungeret, ut in nullo distinguere-

Non defuerunt, qui suspicarentur, Evangelium illud cum Evangelio Basilidis confundendum, quod scilicet in Aegypto erroneos suos Basilides disseminasset (g). Autumavit Baronius, Hæreticos quosdam Aegyptios Scriptum illud sub specioso S. Marci nomine procudisse (h). D. Grabe persuasum habuit, opus esse Fidelium Aegypti, antea scriptum, quàm S. Lucas suum illud Evangelium adornaret (i); nec alterum potissimum spectasse credit Evangelium S. illum Scriptorem, cum in ipso Operis sui limine, rerum ab exordio Ecclesiae gestarum historiam, plures scribendam suscepisse designat. D. Millius maluit scriptum in gratiam Esseniorum, quos ille primores & perfectissimos Ecclesiae Aegyptiacae Christianos arbitratur (k). Scitum est, quo illi literatura genere maxime delectarentur, parabolico scilicet & allegorico; notumque quanti castitatem æstiment; quæ duo planè sub oculis ingentur rara illa fragmenta ex eodem Evangelio ad nos usque deducta. Sed quod certius eà de re ferri possit judicium, integrum Opus, quod penitus intercidit, iis exceptis fragmentis supra descriptis, legisse oporteret.

6. *Evangelium Nativitatis B. Virginis.* Tria nota sunt de ortu Virginis Evangelia, duo integra supersunt. Omnium potissimum habendum est Protevangelium, S. Jacobi Minoris Episcopi Jerosolymitani nomine inscriptum. Extat Opus Graecè, & Latine. Alterum est Evangelium Nativitatis Beatæ Virginis Latine, cum epistolâ scriptâ nomine Chromatii, & Heliodori ad S. Hieronymum, quæ ambo illi Viri Sanctissimi rogant S. Doctorem, ut opus illud ex Hebraeo Latinum faciat. Ad dicta est & Epistola S. Hieronymi ad eodem, qua votis illorum se annuisse profiteatur. Sed Epistolæ, & opus pariter inter apocrypha rejicienda sunt. Evangelium Latinum Nativitatis Beatæ Virginis nil aliud est quàm epitome Protevangelii S. Jacobi, de quo nos fusiùs agendum suscepimus in Dissertatione, qua concludere aggressi sumus duas genealogias J. C. apud Lucam, & Matthæum.

Tertium tandem Evangelium Nativitatis B. Virginis intercidit, cujus S. Epiphanius aliquid, non leve quidem, sed fabulosum refert, quod etiam habet Serapion Episcopus Tmuensis in suo libro adversus Manichæos. Porrò S. Epiphanius hæc de Evangelio illo refert (l). Zacharias Pater Joannis Baptistæ, cum in Templo muneri suo thymiamatis offerendi vacaret, hominem aëni speciem præferebantem obvium habuit, cujus aspectu terrentem è Templo se prorapiens exclamavit: *Vae vobis! quia enim tandem adoratis?* Ne ulterius clamaret, monstrum manu sua os ejus occludens prohibuit. Postquam loquendi pristinam facultatem post natum Joannem Baptistam obtinuit, mysterium iniquitatis proderè aulam Judæi in Templo occiderunt; ubi eruenta ejus necis vestigia

g Apud Albertum Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 335.
h Baron. ad An. 44. n. 48.
i Spicil. PP. l. 1. pag. 31.
k Mill. Proleg. 50. in N. T. Graec.
l Epiph. haeres. 26. n. 12.

pavimento impressa diutius manserunt. Narrat etiam S. Augustinus contr. Faust. lib. 23. cap. 9. in Libro Nativitatis Mariae, quo utebantur Manichæi, memoria proditum, Joachimum Patrem SS. Virginis ad Tribum Levi spectasse, cum in aliis Libris, qui extant ejusdem argumenti, è Familia David, adeoque è Tribu Juda repetatur. Protevangelium nihil quidem habet satis expressum de genere, sed è ditissima & gregibus locupletissima domo dedit. Porrò Scripta ista omnia è Protevangelio, uti facile credimus, deducta, longam præferre antiquitatem negaverit nemo, qui primis Ecclesiae saculis laudata apud PP. animadverterit. S. Epiphanius Hæres. 26. 12. Gnosticis tribuit. Origenes (m), & Tertullianus Scorp. cap. 8. ad illa interdum alludunt. Serapion Scriptor quarti seculi (n), S. Gregorius Nyssenus [o], S. Hieronymus [p], S. Zeno Veronenis [q], Author Operis imperfecti in Matthæum. Hom. 2. Eufathius Antiochenus in Hexamer. five alius quispiam sub ejus nomine ab Allatio vulgatus, S. Petrus Alexandrinus (r), aliique plures iidem Operibus usi sunt.

8. *Evangelium Infantiae Salvatoris*, Opus totâ antiquitate notissimum (s). Arabicè extat cum Latina versione Henrici Siculit. Eju. Graecum fragmentum vulgavit D. Cotelerius, cui Author inscribitur Thomas quidam. Scatur Opus prodigiis à Jesu primâ adhuc ætate puero, sive in itinere ad Aegyptum, sive cum Nazareth redisset, usque ad annum ætatis duodecimum, factis. Pleraque tamen supra fidem & puerilia sunt addè, ut vix credulis mulierculis persuadeantur. Quin & S. Joannis Evangelistæ testimonio scimus, aquam in vinum transmutatam ad nuptias in Cana primum fuisse signorum Jesu Christi (t). Vix sanè aliter fieri potuisset, ut Jesus in oblivione tandiù maneret, si à prima ineunte ætate tantâ prodigiorum gloria claruisset.

Sunt qui Operis hujusce Authorem crediderint S. Petrum, alii S. Matthæum, S. Thomam; multò tamen vero propius Hæreticis primorum Ecclesiae seculorum tribueretur. Porrò usos eo Libro Marcionitas, quod genus erat Gnosticomum, S. Irenæus l. 1. c. 17. est author. Meminit illius sub nomine Evangelii S. Thomæ Apostoli Origenes, S. Ambrosius, & S. Hieronymus; sed S. Cyrilli Jerosolymitani testimonio constat, non Apostolo S. Thomæ, sed uni ex tribus discipulis Manetis, Thomæ tribuendum (u). Porrò tres illi Discipuli sunt Thomas, Buddas & Hermas. Verùm si Thomæ Manetis discipulo Opus aliquod de Infantia Salvatoris vindicetur, alterum sanè illud reputandum est ab eo, quod ætate nostrâ superest, laudaturque à S. Irenæo & Origene, ac vetustiorum præ Manete ætatem præferunt. Sanè Gelafius, & Timotheus Presbyter (x) duo hæc scripta, Evangelium Thomæ, & Infantie luculenter distinguunt. Facilius tamen unum idemque Opus reputaremus, decemque arbitremur S. Cyrium, ejus

m Orig. l. 6. 11. in Matth. pag. 223.
n Serapion contra Manichæos.
o Gregor. Nyssensis. homil. de Nativitate B. M.
p Hieron. contra Helvid.
q Zeno Veronen. Hom. 6. de Nativitate.
r Petr. Alexand. Can. 13. de Penitentia.
s Iren. adversus hæres. l. 1. c. 17. Epiphanius. hæres. 51. n. 10. Origenes. hom. 1. in Luc. Chrysost. hom. 16. & 20. in Joan. Ambrosius. præm. in Luc. Hieron. Praefat. in Matth. Euseb. l. 3. Hist. Eccl. c. 25. Cyrillus Jerosol. Catech. 4. & 6. Albanus in Synopsi. Alii plures apud Albertum Fabric. de Apocryph. N. T.
t Joan. 2. 11. u Cyrillus Jerosol. Catech. 6. x Timoth. Presb. Constantinopol. lib. de his, qui ad Ecclesiam accedunt, edito à Mursio de variis divinis. p. 117.